

(Joan. VIII.). Quæ verba s. Joannes Chrysost. et s. Leo M. de *sancitate* et *justitia* explicant, a qua ille decidit (1). Illud quoque accedit, quod s. Judas scribit: *Angelos qui non servaverunt suum principatum* (2). Denique Ezechielis verba XXVIII, 15: *Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniqüitas in te*, in persona regis Tyri prolata, mystice de Luciferi gratia et gloria s. Gregorius M. (3) aliisque patres passim expouunt (4).

Dixi hanc esse communem patrum et theologorum sententiam; non enim defuerunt, teste s. Augustino (5), qui existimaverint Angelos in puris naturabilibus conditos fuisse. Hugo a s. Victore et Petrus Lombardus inter scholasticos, quos plerique usque ad s. Thomam theologi sunt secuti, opinati pariter sunt, Angelos omnes per aliquod tempus ab ipso creationis tempore in puris naturalibus fuisse (6). Relata autem verba s. Augustini, fatente ipsomet Berti, commode possunt de *gratia actuali*, ex qua esset in *Angelis actus amoris casti*, exponi (7); quod et Estius confirmat (8). Hoc obiter dictum sit aduersus jansenianos, qui, ut facilius impugnare possint possibilitem status naturæ pure, sive in Angelis, sive in homine, ad fidem spectare prædicant Angelos in gratia fuisse conditos.

Præter gratiam sanctificantem actuale pariter auxilium, sine quo perseverare haud potuerint, Angelos omnes sive bonos sive malos consecutos esse,

(1) S. Joan. Chrysost. Hom. LIV, alias LIII, In Joan. num. 3, citata Christi verba sic exponit: *In vita probitate*. S. Leo M. Serm. XLVIII, alias XLVII, ac De quadrage. x, cap. 2: *Et quia ipse (diabolus) in veritate non stetit, totamque natura sue gloriam, dum superbiam, amisit, dolet hominem Dei misericordia reparari, et in bona, que ipse perdidit, introduci*. Vid. edit. Ballerini, tom. I, pag. 482.

(2) Cfr. Maldonat. in Joan. VIII, 44.

(3) Moral. lib. XXXIV, cap. 17; tum lib. IV, cap. 9; item. lib. XIX, cap. 5.

(4) Apud Petav. De Angelis, lib. III, cap. 2, § 40 et seqq. Vid. etiam P. de Rubeis, Dissert. XXVI, De gestis, etc. s. Thomas Aquinatis, cap. 7. n. 4.

(5) De civitate Dei, lib. XI, cap. 13.

(6) Apud Petav. De Angel. lib. I, cap. 16, ubi inter veteres recenset pro negativa sententia Dydimum et s. Basilium, qui tamen alibi in contraria iavit sententiam. Inter scholasticos refert Guillelmum Parisiensem, Rupertum, Hugonem, Petrum Lombardum. In eamdem pariter sententiam concesserunt Aegidius, una cum ejus schola Augustiniana, Alexander Alensis, s. Bonaventura, Scotus, Gabriel, aliquique frequenter agmine, adeo ut ipse s. Thomas in II Sent. dist. 4, q. 1, a. 2, fateatur, hanc opinionem suo tempore communiorum fuisse. En eius verba: *Circa hoc est duplex opinio; quidam enim dicunt, quod Angeli non in gratia, sed in naturalibus tantum creati sunt, et hæc opinio est communior. Alii vero dicunt, Angelos in gratia creatos esse. Harum autem opinionum, quæ terior sit, non potest efficaci ratione reprehendi. Attamen jan-enistæ, omni deposito pudore, tamquam fidei articulum affirmant sententiam propugnant!*

(7) Lib. x, cap. 8.

(8) In II Sent. dist. III, § 7, ubi utriusque sententia argumenta expendit, et questionem hanc inter scholasticos jactari affirmat. Ipse vero non secus ac Berti sententiae affirmativæ utpote probabiliori assentitur.

communis est omnium fere theologorum sententia, inter quos disceptatur tantummodo circa naturam istius actualis gratiæ, qua prediti Angeli fuerunt; utrum scilicet ejusdem speciei ac entitatis fuerit in omnibus, tum qui perseverarunt, tum qui non perseverarunt, prout augustiniani et congruistæ affirmant, quibus et adstipulantur jansenistæ; an vero diversæ speciei et entitatis, sufficiens nempe in Angelis reprobis et a se efficax in electis, quod ex suo sistente contendunt thomistæ. Cum nobis autem propositum sit, nullas cum theologis domesticas miscere quæstiones, ideo qui plura cupit, poterit pro sententia augustinianensem et congruistarum consulere inter ceteros Berti et Suarez (1), pro sententia thomistarum card. Gotti (2). Communis item theologorum sententia est, Angelos independenter a meritis Christi gratiam fuisse consecutos (3).

2. His tamen gratis instructi Angeli non omnes in fide offilioque constiterunt: cum non pauci ex ipsis per peccatum defecerint, ut ex allatis superius Estius confirmat (8). Hoc obiter dictum sit aduersus jansenianos, qui, ut facilius impugnare possint possibilitem status naturæ pure, sive in Angelis, sive in homine, ad fidem spectare prædicant Angelos in gratia fuisse conditos.

Jamdudum illorum obsolevit opinio, qui existimarent ob impudicitæ flagitium e cœlo ac Dei consortio ejectos Angelos fuisse. Quapropter alii putarunt propter invidiam Angelos cecidisse; sed ut loquitur s. Augustinus, invidia sequitur superbiam, non præcedit. Verum et hanc ipsam diaboli invidiam alii alter exponunt; quidam enim arbitrantur ipsum iniquo animo tulisse hominem factum ad imaginem Dei; quidam vero censem agre demonem tulisse quod humana natura ad consortium divinitatis extolleretur. At unde constat jam antea Angelis patefactum incarnationis mysterium fuisse? Hinc verba, quæ in libro Sapientia habentur: *Invidia diaboli mors intravit in mundum, sic accipienda sunt, ut per invidiam quidem mors irrepserit in genus humanum, sed ita tamen, ut agnoscat superbiam tanquam sui originem et radicem.*

Quocirca diabolum ejusque satellites non alio prius quam superbie peccato corruisse, communis fere est patrum sententia, quibus præxit ipsa Scriptura, Eccli. X, 15: *Initium omnis peccati superbia*; I Tim. III, 6: *Non neophytum, ne, in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli*; et alibi passim.

At quo superbiae genere peccavit? S. Thomas, quem plerique sequuntur, docet superbiam Luciferi in eo fuisse, quod beatitudinem, ad quam factus fuerat, vi sua et non aliena voluerit assequi, in eoque expetiverit fieri similis Altissimo (4). Dignus

(1) Berti, lib. XII, cap. 8, prop. 2; Suarez, De Angelis, lib. V, cap. 12, num. 41 et seqq.

(2) Tom. III, in I part. s. Thomas, quest. 6, dub. 8, § 2 et seqq. Cfr. etiam Boucat. Theologia ss. Patrum, vol. II, dissert. 4, De hom. creat. art. 2, concil. 2.

(3) Cfr. Petav. De Incarn. lib. XI, cap. 10, § 9 et seqq. ubi hanc sententiam multis argumentis confirmat.

(4) P. I, q. 65, a. 5. Petavius tamen op. cit. lib. III, cap. 5, § 25, exposita hac s. Thomas sententia, quæ haud scio, scribit, *an veterum Patrum placuisse*

est qui legatur s. Doctor Part. I, q. 65, in prius tribus articulis, in quibus ostendit, quomodo spiritus sapientia et natura nobilissimus, peccare potuerit, non ex ignorantia aut oscitantia, sed ex sola superbia et invidia. Sunt qui cum Petavio tenent id evenisse ex Luciferi summa absolute dominationis in creatas res omnes cupiditate, tum quod subesse aut obtemperare noluisset, si eam consequi potuisset, prout ipse s. Bonaventura tenet (1). Haec autem opinio non contempnendis argumentis nititur.

3. An multum vel parum temporis ab Angelorum creatione ad eorum lapsus fluxerit, tum quotnam corruerint, omnino non liquet (2). In dubium tamen revocari nequit, quin post admissum qualemque et qualemque peccatum, statim majestatis rei, omnes maledicti fuerint et e celestibus sedibus ejeci.

Multiplex autem est dæmonum pena. Prima est justitia ac gratia sanctificantis amissio; altera est supernaturalis beatitudinis, quæ in intuitiva Dei visione ac fructione consistit, et ad quam conditi fuerant, privatio; tertia est obtenebratio quedam intellectus et voluntatis in malo obfirmatio sive pertinacia; licet haec ultraque animi virtus in essentialibus neque ablata ipsis, neque immunita fuerit.

Hæc sunt probata apud omnes. Non idem tamen consensus est circa poenam, quam vocant, sensus. Nam I. plures ex veteribus censuerunt, non statim inflictam dæmonibus hanc penam fuisse. Horum testimonia coligit Petavius (3); e quibus erimus nonnullos censuisse, dæmones sempiterna ignis poena nonnisi post extremum iudicij diem fore plectendos. Estius tamen existimat, patres loqui de poena quædam secundaria, que tota sit in probris, ignominia, usque ac rabie, quam subire debebunt in universalis iudicio (4). Quod tamen dubito an verum sit. 2. Plures pariter ex veteribus tradiderunt, non omnes in tartara nefarios hosce spiritus detrusos fuisse, sed parati in aere proximisque locis sedem quamdam habere. 3. Alii voluerunt ex dæmonibus eos, qui in tartareas regiones fuere compulsi, vicissim quodammodo inter se mutare sedem, et qui in inferis sunt illinc emergere atque ulro citroque commeare. Nec defuerunt denique, qui affirmarent non vero eos signe torqueri (5). Nunc tamen constans communis

perinde consentanea sit atque illa Guillelmi Parisiensis. Guillelmus autem verisimile arbitratur, diabolum et Angelos ejus divinum sibi honorem voluisse tribui, hoc est, pro diis haberet se et adorari, quod a gentibus obtinere magno deinde studio conati sunt. Non defuerunt theologi, qui idecirco lapsos Angelos dixerint, quod, patefacto ipsis futuro incarnationis mysterio, invidia et superbiam tumentes, renuerint Deum, hominem factum, adorare. Verum de hac opinione (fr. Petav. lib. III, cap. 2, § 10, ubi exploditur).

(1) Loc. cit. § 26.

(2) Cfr. Petavius ibidem.

(3) Ibid. cap. 4.

(4) In II Sent. dist. 4, § 14.

(5) Cfr. Petav. op. cit. lib. III, cap. 5, ubi præter Origenem pro hac sententia adducit s. Ambro-

que sententia est, tum statim dæmones omnes poena sensus mulctatos fuisse; tum eos, qui per aera discurrent ac volitant, infernales spiritus suarum secum ferre tormenta flammaram, ut loquitur Beda (1), veroque proinde igni cremari.

De his hactenus. Qui plura cupit, poterit copiosius hæc, ubi oporteat, ex s. Thoma atque ex Petavio haurire (2). Non enim tanti momenti sunt, ut a potioribus consecrandis nos diutius detineant.

CAPUT V.—De dæmonum cum hominibus commercio.

Ad hoc dæmonum cum hominibus commercium revocamus omnia eorumdem malorum spirituum molimina, sive ad noceandum hominibus eosque vexandos, sive ad eos ad extremum exitium perducendos. Ad primum potissimum spectant corporum obsessiones, ad alterum mala omnia, ad quæ dæmones solent homines impellere, sive id demum fiat pactio qualicunque interposito, sive non.

Libenter et nos fatemur non omnia, quæ de energiis, pythonibus, sagis, lamiis ac arte magica passim traduntur, indiscriminatim admittenda esse; ast nec omnia, quæ dæmoniacos spectant vel superstitiones dæmoniacas, in sola vulgi opinione ponenda esse contendimus. Talis enim opinio secundum s. Thomam procedit ex radice infidelitatis sive incredulitatis, quia non credunt esse dæmones nisi in estimatione vulgi tantum (3).

Ex hac radice exoritur pariter recentiorum protestantium passim (4) ac neotericorum biblicorum, multo magis rationalistarum sententia, qui tum dæmonum obsessiones, tum reliquias dæmonum molitiones omnino esse negant. Novis his sapientibus ex

sium, Joan. Damascenum et Theophylactum. Observat autem etiam Vasquez in p. 4, disput. 245, cap. 4, nullam adhuc haberi hac de re Ecclesiæ definitionem.

(1) In Comm. in cap. 3 epistolæ s. Jacobi Vid. opp. edit. Basil. tom. V, pag. 947.

(2) S. Thom. p. I, q. 64; Petav. lib. in De Angel. cap. 2 et seqq. Calmet, Diss. in bonos et malos Angelos, art. 2, quæ est secunda ex iis quas præmisit commentatoris in Evang. s. Lucæ.

(3) In IV Sentent. dist. 34, q. 1, a. 3. Ipsomet Cudworth, Syst. intell. cap. 5, § 82, minime dubitat eos, qui illa qua vel de divinationibus, vel de magiis, a fortiori vero quæ de obsessionibus dicuntur, inficiantur, impietatis in Deum arguere ac traducere velut de atheismo suspectos.

(4) Cfr. Christ. Thomasius, Dissert. de criminis magia, 1701; Mayer, Historia diabolus, edit. 2. Tubingæ 1780; Meiners, Allg. krit. Gesch. aller Religionen, seu Universalis critica historia omnium religionum, tom. I, pag. 398 et seqq. Dæmoniacos omnes non a diabolo aut a dæmonibus vexatos, sed certis morbis afflicti fuisse, Semlerus primus in Germania libere professus est, in Dissert. de dæmoniacis, quorum in Evangelii fit mentio, Hale 1760, 4, edit. 4., 1779. De hoc autem Semlero, qui est Protestantum bibli-

catholicis accessit Jahn, qui, quum simularer expondere problematicae questionem de daemoniacis, quecumque afferri solent ad confirmandam obsessionum veritatem tum ex sacris litteris tum ex patribus elevare satagit, ut statuat daemoniacorum nomine nonnisi ægrotos designari, Christum vero et apostolos sacrosores scriptores reliquos vulgi opinioni sese accommodasse (1), dum daemoniacos commemorant. Quod attinet ad reliquos dæmonum effectus neque cum prudentiori philosophia, neque cum ipsa Dei natura eos conciliari posse pronunciant (2).

Quare duo a nobis constituenda sunt, tum veros daemoniacos dari, tum sapienter leges latas esse ac penas constitutas adversus superstitiones aut maleficia exercentes.

PROPOSITIO I. — *Tum ex Scriptura tum ex Patrum et Catholicæ Ecclesiæ sensu constat veros dari daemoniacos, seu a dæmone obsessos.*

Dæmoniacorum sive obsessorum vel possessorum nomine eos intelligimus, quos dæmon ita invadit, ut in eorum corporibus insidet, eadem moveat, variisque modis pro concessa sibi a Deo facultate vexet. Veteres patres latiori quandoque significacione obsessi et energumeni voces usurpabant, ad peccatores et infideles designando, tanquam diaboli potestate detentos et vinculis obstrictos (3).

Jam vero evangelica historia nos dubitare non sinat, plures extitisse a dæmone correptos; exhibit

corum, et presertim rationalistarum tanquam oraculum, vide Hugs' James Rose opus: *On the state of religion protestant, etc.* Cambridge, 1825, seu *De statu religionis protestantis in Germania*. Fuit ipse a pietistis institutus, a quibus deinde recedens statuit principium accommodationis, quem non pauci sequuntur sunt protestantes in sacrorum librorum exegesi. Postquam vero recensuit haud paucos errores, seu potius errorum monstra huius auctoris, sic denum concludit Hugs' James Rose, licet et ipse protestans: *En nonnullas opiniones auctoris, qui in Anglia ipsa sibi promeritus est nomen immortalis Semler. Ah si homo errorem vitare nullo modo potest, nullies melius foret nimis credere, quam parum nimis! Admittet forsitan errores aliquot, sed principium, cui fides innititur, primum et intactum perstabit. Extendet forsitan suum velutum cultum ad doctrinas, quæ ad revelationem non spectant, at observantur servabunt et affectum illum humilem suavemque fidelitatem erga Dei verbum, sine quibus impossibile est venire ad Christum. Hæc tamen omnia accepta referre debemus protestantis principio.*

(1) *Archæologia biblica*, § 194 et seqq.
(2) *Fatendum est*, inquit Wegscheider § 106, singula dæmoniologiae biblico-ecclesiasticae placita, ea presertim, quæ ad effectus demonum spectant, ita esse comparata, ut neque cum vera philosophia ullo modo conciliari possint... neque cum aliis quibusdam Scripturæ sacrae præceptis, quæ numinis divini naturam optime declarant.

(3) Juxta latiorem hanc significacionem receptus antiquissimus mos est, qui etiamnum viget, præmitendi in collatione baptismi exorcismos, insufflationes, renunciationem satanæ, etc., de quo ritu suo loco. Cfr. Clem. Alex. Strom. lib. II, pag. 176-177, edit. Oxoniensis.

siquidem 1. Christum e corporibus obsessis passim dæmones expellentem (1); 2. præcipientem dæmonibus, ut exeat: *Surde et mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, et ne amplius introreas in eum* (2). Interrogantibus vero discipulis, cur hominem illum sanare nequerint, respondit Jesus: *Hoc genus (dæmonium) in nullo potest exire nisi in oratione et jejunio* (3). 3. Exhibit Christum interrogantem dæmonem de ipsius nomine coram multitudine, dæmonem vero ad interrogationem respondentem, rogantemque ne in abyssum mittatur, sed ut sibi permittatur in porcos ingredi, prout factum est (4); 4. *exeuntia dæmonia et clamantia* (5). 5. Sacri scriptores dæmoniacos ab ægrotis, et ejectionem dæmonum a sanatione ægrotorum distinguunt (6). 6. Idem narrant septuaginta discipulis revertentibus ac præ gaudio gestientibus, quod in nomine Jesu sibi subjecerentur dæmones, respondisse Jesum: *Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem.... veruntamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur* (7). 7. Cum Christum pharisæi calumniarent, quod in Beelzebub principe dæmoniorum ejiceret dæmonia, ipsum respondisse: *Omne regnum in se dividum desolabitur* (8). 8. Referunt Christum dicentem, spiritum ab homine egressum ambulare per loca arida, querentem requiem et non invenientem, cogitantemque de redditu, assumptis septem spiritibus se nequioribus (9). 9. Exhibit tradentem potestatem apostolis dæmones ejiciendi (10). 10. In Actis apostolicis Paulus spiritum Pytho-nem divinatorem a puella ejicit (11).

Illi positis sic rem conficimus: Hæc Scripturarum loca, in obvio ac nativo sensu accepta, non possunt nisi de obsessis intelligi; atqui omnia adjuncta suadent ea sic accipienda esse; etenim nihil obstat quoniam sic intelligamus; si vero vel figurato sensu vel ex vulgi opinione ea expondere deberemus, multa orirentur incommoda; ac primo vis inferretur textui, omnia exponendo de ægrotis vel insanis, ubi nusquam horum morborum indicium appetat; deinde Christus, si perpetua sua agendi ac loquendi ratione falsam hanc persuasionem confirmasset, noctuis positus quam profuissest hominibus, qui ea opinione imbuti facile sibi persuadere poterant, se obsessos esse, et vera proinde insania laborassent. Neque omnitem, ejusmodi agendi rationem summae Christi veritatem esse prorsus contraria; cum presertim in hypo-

- (1) Matth. IV, 24; VIII, 15; Marc. I, 32, 34, 39.
- (2) Marc. IX, 24, in græco textu, v. 25: Τὸ πνεῦμα τὸ ἀκάλον καὶ κυρόν, ἐγώ σοι ἐπιτάσσω. Εξίθε εἰς κύρον, καὶ μηδέποτε εἰς αὐτόν.
- (3) Ibid. v. 28, in græco 29.
- (4) Lue. VIII, 27 et seqq.
- (5) Ibid. IV, 41.
- (6) Marc. I, 32; XVI, 15; Lue. VI, 17, 18; VII, 21; VIII, 2; XIII, 32.
- (7) Lue. X, 48.
- (8) Matth. XII, 25-28; Marc. III, 25; Lue. XI, 17-19.
- (9) Matth. XII, 45; Lue. XI, 24.
- (10) Matth. X, 1; Marc. XVI, 17.
- (11) Act. XVI, 16.

thesi adversariorum apostolos induxitset positive in errorem, eis conferendu potestatem ejiciendi dæmones, si obsessi non existent. Demum, quod maximi momenti apud adversarios esse debet, si sibi cohædere velint, nullib[us] reperiuntur ægroti aut insanii quos ex recepto loquendi usu a sacro vel profano auctore dæmoniacos appellari probent adversarii; dempta enim gratuita adversariorum jactantia, nullum documentum profertur, quo constet sive ex sacris sive ex profanis scriptoribus, ante aut post Christum consuetudinem viguisse ægrotos aut insanios dæmoniacos vocandi. Quare igitur sine documentis et testibus, immo documentis obsistentibus, ac reclamantibus omnibus critices et exegeseos legibus, nomine obsessorum intelligemus ægrotos et insanios?

Patres ecclesiæ antiquissimi et apostolis proximi, quique eos secuti sunt, tum communia facta, quæ neminem latere poterant, novæ huic exegesi apertissime adversantur. Patres enim antiquissimi unanimiter omnes, tum veros dæmoniacos dari, tum inesse in ecclesia potestatem a Christo concessam dæmones expellendi ex obsessorum corporibus ac passim eos reipsa expulsos esse, non solum tradunt, sed præterea provocant paganos, ut experientia confirment, utrum reipsa christiani valeant id efficere. Ita passim Justinus, Minucius Felix, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus aliquie (1). Nos brevitatis gratia unius Tertulliani verba afferimus: *Sic porro ipse in Apologetico fidenter ac publice ethnosc provocabat: Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem dæmon agi constet; iussus a quolibet Christiano loqui spiritus ille (non morbus aut insania) tam se dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso; postea concludebat: Jam ergo subjecta Christianis divinitas vestra* (2); quo sensu pariter dicebat Cyprianus: *Videbis nos rogari ab eis, quos tu rogas* (3). Accedit confessio ipsorum pa-

ganorum, qui nunquam ausi sunt hanc potestatem dæmones expellendi ex obsessis denegare christianis, siquidem agebatur de factis publicis obviisque; verumtamen his factis admissis, ea tribuebant vel magis, vel dæmonum simulationi, etc.; ita Celsus apud Origenem (1), Porphyrius (2), Julianus apostata (3).

Nemo insuper ex patribus est, qui in potestate christianis tributa, liberandi obsessos ad Jesu nominis invocationem, non agnoverit ineluctabile argumentum divinitatis Christi Jesu et veritatis christianæ religionis (4); immo s. Epiphanius refert quedam hominem judeum expulisse dæmones in nomine Jesu (5); idem de Juliano apostata refert Gregorius Nazianz. et Theodoreus (6), nec non s. Augustinus de nonnullis haereticis et schismaticis, qui interdum ad Christi Jesu invocationem idem prestiterunt (7).

Hinc ab ipsa aetate apostolica institutus in ecclesia catholica ordo exorcistatus, eis, patribus iisdem testantibus, commune fere esset hoc donum primis ecclesiæ temporibus, ipsique parvuli illud exercerent, et prescripta fuerunt regulæ et orationes ad exorcismos faciendo.

Quibus ita constitutis, sic rursum instituimus argumentum: Nullæ habendæ sunt, immo vero tanquam falsæ sunt respondebæ conjecturæ, quibus contradicunt facta publica, obvia, constantia, quorum testes sunt non modo scriptores omnes oculati, doctrina, sanctitate, prudentia spectatissimi, verum etiam hostes licet invicti et acerrimi, quorum publica monumenta supersunt; atqui, ut ex dictis liquet, tales sunt conjecture, quæ opponuntur ab adversariis veræ ac reals obsessionis dæmonum (8). Ergo.

DIFFICULTATES.

Obj. Omnes, qui in Scripturis dæmoniaci perhibentur, non fuerunt nisi ægroti vel insanii. Egroti

(1) *Contra Celsum*, lib. I, n. 6, t. I, pag. 324 edit. Maur. ubi hanc potestatem expellendi dæmones habere Christianos effutielat ex quorundam dæmonum nominibus et incantationibus, δαιμόνων τελῶν δύμασι κατακλύσασι δαιμονικούς λεγόμενους Χριστιανούς.

(2) Apud Hier. in testimonio adducto.

(3) Apud Cyriillum, lib. VI. *Adversus Julian.* qui hanc potestatem ejiciendi dæmones in Christo fatetur. Vid. edit. Joan. Auberti. tom. VI, pag. 491.

(4) Cf. Baltus, *Suite de la réponse à l'Hist. des Oeccl.* 1 part. chap. 18 et seqq.

(5) Haeresi XXX, Ebionæor. edit. Petavii. Videsis s. Iren. *Adv. heres.* lib. II, cap. 6, edit. cit. cum notis Feuardentii, inter variorum annot. pag. 85.

(6) Greg. Naz. *Orat.* I, *adv. Julian.* n. 19, edit. Bili; Theodore. *Hist. eccl.* lib. III, cap. 4.

(7) Lib. LXXXIII *Quæstionum*, questione LXXIX.

(8) Juverit coronidis gratia in medium afferre animadversionem viri neoterici nostris minime suspecti, scilicet Isaci Nossi, qui in *Dissert. de Sibyllis*, hæc scribit: *Desinant hodierni christiani veteribus illudere christianis eorumque suggerire credulitatem... profecto nullos religio christiana infusori habet hostes quam ipsos christianos; cum vix ultimus apud antiques de Christo aut vaticinium aut testimonium inventias, quæ non complures etiam doctissimi viri labefaciare aut etiam penitus evertere sint conati.*

(Vingt-unus.)

tos quidem plures ex iis fuisse, evincunt 1. indicia epilepsie furoris, etc. quae in iis conspiciebantur, ex gr. in juvene, qui Mare. IX habuisse dicitur spiritum immundum, per quem exclamans modo in terram, in aquam modo aut in ignem detrudebatur, ex ore spumam emittebat, frendebat dentibus; 2. Evangelistæ ipsi, qui inter genera ægrotorum sæpe commemorant dæmoniacos tanquam singulare ægrotorum genus, Matth. IV, 23, 24; X, 18; Marc. I, 52; Luc. IV, 40, 41; V, 15; VIII, 2; IX, 1; XIII, 52. Ino Act. apost. X, 38, omnes ægroti, quorum plerique in Evangelio non vocantur dæmoniaci, dicuntur *oppressi a diabolo*; unde apparet apud sacros scriptores idem significare *ægrotum et dæmoniacum esse, vel vexari a diabolo*. Comprehendunt et contrario dæmoniacos nomine ægrotorum, ideoque dæmoniacos omissunt, quando generatim omnes, quibus Jesus opem tulerit, commemorant Luc. VII, 21, 22; Matth. XI, 5. Hinc sæpe dicunt dæmoniacos fuisse *sanatos*, quo ipso ægrotos fuisse innuunt Matth. VIII, 16; XII, 22; Luc. VII, 21; VIII, 2; IX, 42. imprimis Lucas XI, 14, *spiritum mutum*, et XIII, 11, *spiritum infirmatus* seu *infirmum* commemorans, profecto non de spiritu, sed de homine muto et infirmo intelligi voluit; si porro Lucas, qui erat medicus, eamdem hanc vocem adhibet: *sanare et sanari a spiritibus et sanare oppressos a diabolo*, VII, 21; VIII, 2, et Act. apost. X, 38, manifestum est, spiritus vicissim pro morbis sumi (1). Ergo.

Resp. N. A. Obstant enim gravissima argumenta a nobis adducta in probationibus. Sed interea dicere.

Ad probat. N. vel D. Quæ tamen non occurunt nisi in casu adducto, et optime componi possunt cum demonis obsessione, C. quæ ad casus omnes referantur, neque cum vera-obsessione componi possint N. Dupliciter enim errant adversarii, tum scilicet in eo, quod ad omnes velint casus extendere quod singulare est; tum in eo, quod potest non posse obsessionem sive cum hoc sive cum alio quovis morbo conjungi, quod tamen apertissime falsum est. Quid enim impedit, quominus dicamus cum communi patrum et interpretum expositione, a dæmone ipso inventum morbum, sic Deo permittente (2) vel si magis lubet, juvenem illum tum naturali morbo laborasse, tum a dæmone fuisse vexatum? maxime quod omnia adjuncta, quæ in evangelica historia recensentur, dæmonis obsessionem necessario exposcent (3).

Hæc vero eadem responsio accommodari debet casibus singulis, qui objiciuntur; eadem enim ratio pro omnibus militat.

(1) Ita Jahn, *Archæologia biblica* § 194.

(2) Cf. Maldonatus in Matth. xvii, 5.

(3) Cuiusmodi profecto sunt tum exprobatio incredulitatis a Christo apostolis facta, tum necessitas orationis et jejunii ad ejus generis dæmonia expellenda, quæ naturalis morbo minime congruant; numquam enim medicos novimus, qui oratione se et jejuno ad epilepticos curandos comparent.

Ad id vero, quod additur de voce *sanationis*, animadvertisendum est, 1. falsum esse, vocem istam occurtere, ubi de dæmoniacis tantum agitur (1); 2. interdum morbos tribui diabolo seu Satanae, quatenus ipse inventor peccatorum sit, et a peccatis seu malis moralibus ut plurimum morbi aliqua mala physica tanquam justa peccatorum poena aut sequelæ repeti debeant. Hinc est, quod communis dictio oppressi a diabolo appellentur, qui morbis afflantur (2). 3. Accurate passim evangelistas distinguere ægrotos a dæmoniacis; quod non fecissent, si ægroti idem essent ac dæmoniaci. 4. Falsum esse inter sanatos a Christo in adductis locis non recenseri dæmoniacos; quod si Matth. XI, 5, non commemorantur, ratio est quia id non patiebatur relatio ad Isaiae vaticinium XXXV, 5, et LXI, 1; ceterum silentium Matthei supplevit Lucas VII, 21.

1. Inst. 1. Non raro dæmoniaci, qui aetate Christi et apostolorum inter alias gentes occurserunt, medicinis amissam recuperarunt valetudinem. Hinc 2. licet Joannes judæos inducat usui loquendi insistentes de dæmoniacis, Cap. VII, 19, 20; VIII, 48-52; X, 20, tamen ipse, etsi de ægrotis a Jesu sanatis sæpe loquitur, dæmoniacorum tamen nunquam meminit, Joan. IV, 46; V, 3; VI, 2. Ita 3. etiam Paulus I Cor. XII, 14, omnia dona miraculorum commemorans, de dono ejiciendi dæmones, quo ipse prædictus erat, Act. apost. XVI, 16, et quod Jesus Marc. XVI, 17; Matth. X, 8; Luc. X, 16, promiserat, altum servat silentium. 4. Hi duo Apostoli itaque dæmoniacos ægrotis accensuerunt, quia in minori Asia, ubi Joannes evangelium et Paulus primam ad Corinthios epistolam scripsit, ars medica tunc temporis florebat, unde in vulgo quoque innotuerat, hos morbos, dæmonibus tributos, esse naturales. Quod si 5. passim scriptores sacri dæmoniacos ad Jesum venisse dicunt vel adductos fuisse, et Jesus ipse dicit: *Ejicio dæmonia*, si Jesus præterea dæmones alloquitur, illis minatur, eos tacere aut egredi jubet, atque regrediret, hæc non evincunt, nisi eos usum loquendi sequitos fuisse ac se vulgi opinioni accommodasse, vel non nisi tropice esse locutos (3). Ergo.

Resp. ad 1. D. Qui tales putarentur, Tr. vel C. qui tales vere essent. N. Quod nunquam evincent adversarii.

(1) Sane non occurrit Matth. ix, 33, 34; x, 8, ubi potius de industria distinguuntur dæmoniaci ab ægrotis, seu distinguuntur potestas collata a Christo apostolis suis ejiciendi dæmonia et sanandi infirmos; sic distinguuntur ibid. iv, 24 et vii, 22. Frustra patiter hanc vocem quæres Marc. I, 34 ubi etiam secernunt *vexati languoribus a dæmonia habentibus*, ibid. 39 et iii, 15; eademque occurrit distinctio ibid. vi, 15; vii, 26-30; xvi, 9, 17; Luc. iv, 35-35, 41; xi, 14-19. Quod si Matth. xii, 22; xvii, 15; Luc. vi, 18; viii, 2, *curati exhibentur dæmoniaci*, patet ex toto contextu vocem illam in sensu translato sumi de liberatione.

(2) Cf. Maldon. in cap. viii. Matth. v, 17; s. Joan. Chrysost. Hom. xxvii, al. xxviii, in Matth. n. 1, 2.

(3) Jahn, loc. cit. § 196.

Ad 2. D. Quia propositum Joannis id non exposcerat, C. Quia veros non admittebat dæmoniacos vel eos ægrotos censebat N. Etenim, ut omnes horunt, Joannis in conscribendo Evangelio propositum non fuit nisi ea commemorare, quæ a ceteris evangelistis omissa fuerant, in iis præsertim, quæ conseruent ad Christi divinitatem confirmandam; multa propterera prætermisit, quæ reliqui evangelistæ retulerant (1). Nihil propterera exinde concluditur.

Ad 3. D. Expresse, Tr. implicitè N. Comprehendit enim potestatem ejiciendi dæmones sub genericâ voce *operatio virtutum*; quomodo enim Apostolus potuisset excludere donum istud, quo ipsem non semel usus est, præsertim Act. XVI, 16, et XIX, 12, ipsi adversariis fatentibus?

Ad 4. N. suppositum, quod tanquam certum assumunt adversarii, cum tamen falsum sit. In Minorie enim Asia, Ephesi scilicet, perhibentur expulsi spiritus nequam, opera Pauli, et vani conatus filiorum Scævæ exorcistarum; Philippis præterea spiritus Pythonis a puella Pauli jussu discessit. Tantum vero abest, ut ibidem dæmoniaci pro ægrotis sumantur, ut potius peculiariter spiritus nequam languoribus secernantur Act. XIX, 12.

Ad 5. N. Hæc siquidem omnes assertiones gratuitæ sunt, cum nullo fundamento nitantur, nisi præpostoris adversariorum judicis. Nam gratis supponunt 1. usum loquendi invaluisse, quo ægroti dicerentur dæmoniaci; immo documenta de prompta sive ex sacris sive ex profanis auctoribus contrarium evincent (2).

(1) Mirum nemini videri debet, plurima a Joanne fuisse prætermissa, quæ a ceteris evangelistis referuntur, si ratio habeatur scopi, quem sibi proposuit. Piores enim Christi annos obiter percurrit, nonnulla tantum referens, quæ ab aliis Evangelii scriptoribus omissa fuerant, puta convivium in Cana, colloquium cum Nicodemio et muliere Samaritide, paralyticus ad probaticam piscinam restitutum sanitatem; immo multiplicati panis prodigium, utpote jam ab aliis commemoratum, ideo solum attingere videtur, ut tertii paschatis periodum, unde præcipuum historiæ sua partem ordit, insignis miraculi nota quadam et charactere illustrat, atque ut instituenda Eucharistia doctrinam latius exponat; clarissimum utrumque postremo anno perpetratum miraculum, quo Christum cæco a nativitate, visum indidit ac Lazarum a mortuis excitavit, ab aliis omissum fuse prosequitur. Ceterum vix aliebi mentionem injecti eorum, quæ memorabilia Christi dicta vel facta illi reculerunt; idecirco in prodigiis recensendis parcissimus est; contra vero prolixiores ejus sermones ac minus breves orationes plurima nobis servavit. Hinc factum est, ut alia plane docendi methodus apud Joannem a Salvatore servata esse videatur quam apud reliquos evangelistas. Cum vero ab his frequens mentio facta sit liberationis obsessorum, hanc penitus silentio prætermisit Joannes non secus atque ægrotorum recuperatum incolumitatem.

(2) Quoniam neoterici biblii solent provocare ad usum loquendi, abs re non erit afferre auctoritatem Flavii Josephi ad ostendendum nusquam apud judæos hunc loquendi usum obtinuisse, ut dæmoniaci dicerentur ægroti. Hæc porro ejus sunt verba, *Archæol. lib. viii, cap. 2, § 5*: *Concessit ei (Salomon) etiam Deus, ut disceret artem contra malos dæmones ad utilitatem et curationem hominum. Et cum incantationes composuisset, quibus leviantur morbi, etiam formas ad-*

Christum sese accommodasse vulgi opinioni camauis factis et dictis confirmasse, quod pugnat cum ejus veritate; 3. Apostolos Christum non alter intellexisse, quum de contrario potius constet, ipsis fatentibus rationalistis (1).

Atque hinc intelligitur, quod ex commentariorum Hieronymi in cap. XXVIII Jeremiæ opponi solet: *Quasi non multa in Scripturis sanctis dicantur juxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, et non juxta quod rei veritas continebat*. Aliud enim est plebare ad falsam vulgi opinionem *historicæ* referri, aliud vero falsam vulgi opinionem *dogmaticæ* signantis firmari. Primum ad historicæ veritatem spectat, alterum ad historicæ vel operantis nequitiam, nec talis profecto Hieronymi sensus est (2).

Inst. Saltem plerique ex iis, qui in Novo Fœdere dæmoniaci dicuntur, 1. non nisi amentia laborant, quum pertinaciter fixum in ipsis esset, se fuisse a dæmone coruptos. Insania omnia indicia occurserunt in duobus illis Gadarenis, seu Gerasenis, quos

jurationum reliquit, quibus vincita dæmonia ita ejiciunt, ut nunquam revertantur... Vidi enim ex popularibus meis quedam Eleazarum coram Vespasiano et filiis ejus et tribunis reliquisque militibus ex dæmonum potestate ab eis obsecos liberantem. Porro volens Eleazarus illis, qui aderant, persuadere manifestumque facere, quod hanc vim habuerit, non longe ibi collocabat aut poculum aqua plenum aut polubrum, dæmonique imporabat, ut homine egrediens illa evertat, atque faciat, ut spectantes intelligant quod hominem reliquistet. Hoc autem revera facto, palam erat Salomonis sapientia et scientia. Vid. pag. 419 edit. Havercamp. Quidquid porro sit de veritate facti, quod Josephus refert, cuius fides penes ipsum sit, nihilominus per hæc verba, quæ auctor coævi sunt, destruant omnia argumenta, sive *negativa* sive *conjecturalia*, quibus iunxi neoterici biblii contendunt, dæmoniacorum nonne non nisi ægrotos in Scripturis significari. Nam 1. est auctor coævus, qui loquitur de dæmoniacis tanquam de re vulgarissima, ac de exorcismis passim ab antiquissimis temporibus in usum receptis ad liberandos vere a dæmone obsecos. 2. Sribit inter græcos ad græcos et romanos. Evanescit proinde difficultas et Joannis silentio petita, eo quod scriberet inter græcos. 3. Testem sese exhibet de visu ejus, quod de Eleazaro exorcista litteris consignavit. 4. Exhibet omnia signa, quibus verus dæmoniacus dignoscitur. Nam ut signum de exitu dæmonis e corpore obsecos refert, dæmonem exumentem debuisse evertere poculum aqua plenum non procul coram omnibus positum, ideoque non agebatur de *insanis, epilepticis, furiosis, ægrotis*. 5. Expulsionem dæmonis vocat passim *curationem obsecos*. Eadem propterera voce uti potenter evangeliste. 6. Exorcistam iudicat imperantem dæmoni, non amplius in obsecum liberatum revertereatur. Quando igitur Christus imperabat dæmoni, non simulabat. 7. Denique *dæmones* collectivo ac plurali numero vocat ad significandam eorum multitudinem τῶν δαιμονίων. Commemorat hominem collapsum, adiunctionem exorcistarum, etc.

(1) Etenim Wegscheider, § 106, *verisimillimum* esse putat magistrum sapientissimum Christum, rectius quidem de dæmonologia judæorum cogitasse, discipulos vero istam doctrinam non *satis intellexisse*, et ipsam providentiam divinam posteris eamdem emendandam tradi voluisse. Hanc porro emendationis curam sibi rationalistæ demandatalem a divina providentia autemant!

(2) Cf. edit. Vallarsii, tom. iv, pag. 404.